

et misso vice sui Limo spectabili milite, sicut in privilegio predecessoris nostri pape¹ Pascalis bone memorie continetur, super beati Petri altare obtulit atque in perpetuum iuri sedis apostolice mancipavit, nostro postulastis patrocinio communiri, nos petitioni vestre gratum impertientes assensum et vestigiis iam dicti antecessoris nostri inherentes idem monasterium sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones quecumque bona prefatum monasterium iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat sepedictum monasterium temere² perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere minuere seu aliquibus vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Advocatiam quoque eiusdem monasterii predictus dominus Guicbertus fundator sibi retinuit et post eum posteritatis³ sue⁴ natu primo, siquidem iuste et utiliter ecclesie preesse (f. 288) voluerit; sin autem, quod deus avertat, posteritas sua defecerit, abbas eiusdem loci saniori consilio suorum utilem sibi et monasterio eligat quem voluerit advocatum. Sane sepulturam loci illius omnino liberam decrevimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extreme voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat. Crisma, oleum sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum, ordinationes monachorum, qui ad sacros ordines sint⁵ promovendi ab episcopo, in cuius diocesi sunt, eiusdem loci fratres accipiant⁶, si quidem gratiam atque communionem apostolice sedis habuerit et si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere, alioquin a quo maluerint catholico antistite consecrationum sacramenta suscipiant. Porro nullus* in abbatem qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem⁷ fratres communi consilio vel fratrum pars consilii sanioris secundum dei timorem et beati Benedicti regulam elegerint. Ad indicium autem percepte huius a Romana ecclesia libertatis unius aurei census annuus, sicut supradictus monasterii fundator constituit, Lateranensi palatio persolvatur. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre confirmationis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit secundo tertiove commonita⁸ nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino iudicio de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine dei et domini nostri Iesu Christi aliena fiat⁹ atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax

1) cod.: 'papa'. 2) cod.: 'tenere'. 3) cod.: 'posteritati'. 4) cod.: 'suae sive'. 5) cod.: 'sunt'. 6) cod.: 'occupant'. 7) cod.: 'quō'. 8) cod.: 'canonica'. 9) cod.: 'facit'.